PHAEDRI FABULAE

BIBLIOTHECA VITAE LATINAE
iussu Congressus Argentoratensis edita
Petro GRIMAL Praeside curante

PHAEDRI FABULAE

In prosam orationem a
GUARINO PACITTI
solutae

Series Prima
2

AUBANEL

© by Editions Aubanel 1969.

Filiis filiorum meorum
has fabellas narravi.

PRAEFATIO

Dixit Phaedrus se in versus senarios fabulas transtulisse, quas Aesopus prosa oratione conscripserat. Postea tamen addidit quae erant addenda : se Aesopi more modoque fabulas condidisse, ut ipsam vitam et mores hominum ostenderet [1].

Nonne propositum tenuit ? Phaedrus speravit ; candidus lector spei fidem accrevit.

Fabulas Phaedri ego Guarinus prosa oratione enodandas putavi. Quomodo ? Scilicet verba mutando et rationem metri ligatam solvendo [2]. *Cur ? Sunt qui putent fabulas Phaedri ipsas per se esse perspicuas ; ego certum non habeo. Quare curavi ut omnes omnino eas perlegere possent.*

Tenuine propositum ? Ego spero ; dicet tamen candidus lector.

Guarinus PACITTI.

---

1. III, Prol. 49-50; de qua re videas tamen, ibid. 41 sgg. ; videas praeterea fabulam c.t. « Auctor » (liber secundus).

2. Hor., *Sat.* I, 4, 60.

LIBER PRIMUS

MOVENT RISUM VITAM MONENT

PROLOGUS [1]

Aesopus prosa oratione fabulas conscripsit; eas in senarios versus ego transtuli, Phaedrus, Augusti libertus. Qua mente id perfeci ? Primum ut hominum risum moverem, deinde ut prudenti consilio vitam eorum monerem.

Num quis arbores ferasque loquentes reprehendet ? At hic nos fabulis fictis iocamur !

1. Textu usus sum a Luciano Mueller critica ratione constitutum (Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri, MCMXXVI).

FABULA I

LUPUS ET AGNUS

Lupus et agnus, siti compulsi, ad eundem rivum convenerant ; neque eodem loco se collocaverant. Lupus enim superior stabat, agnus vero longe inferior. Tunc improbus latro, fauce fameque incitatus, iurgii causam intulit : « Cur — inquit — mihi bibenti aquam turbulentam fecisti ? » Agnus, tremebundus factus, respondit : « Nullo modo facere possum quod quereris, lupe. Aqua enim a te ad meum os decurrit. » Animum tamen non deposuit lupus agnumque accusavit, quod ante sex menses maledixisset sibi. Respondit agnus sex ante menses se nondum natum esse. Tum lupus : « Pater tuus, hercle ! male mihi dixit » ; subinde innocentem corripuit et iniusta nece laceravit.

FABULA II

RANAE REGEM PETIERUNT

Pisistratus arcem Athenarum occupaverat urbisque tyrannus factus erat. Quare Aesopus civibus hanc fabellam narravit : « Olim ranae, quae in otiosa quietaque palude vagare iam diu adsueverant, clamorem ad Iovem sustulerunt ut sibi regem mitteret, qui dissolutos mores coerceret.

Tum Iuppiter ridens parvum tigillum eis misit, quod paludem movens strepituque miscens ranas primum terruit. Subinde earum una e stagno caput extulit lignumque in limo immotum conspiciens, metu posito, illud intrepide exploravit. Quare, audaces factae, regem illum despexerunt Iovemque universae imploraverunt, ut sibi alium regem mitteret, qui dignitatem suam defenderet moresque dissolutos severe coerceret.

Tum Iuppiter hydrum in paludem demisit, qui non modo pavidum terruit genus, sed aspero dente singulas corripere eisque vesci

coepit. Quare ranae superstites relictae, Iovem exoraverunt, ut adflictis subveniret miserasque servaret. Quibus autem Iuppiter : « Malum nunc regem ferrent — respondit — quae simplicem aegre tulissent ».

Ex quo colligitur — fabulam Aesopus conclusit — Pisistratum tyrannum Atheniensibus ferendum esse, ne alius peior veniret.

FABULA III

GRACULUS SUPERBUS ET PAVO

Graculus inani superbia tumens, pennas sustulerat, quae pavoni deciderant iisque se exornaverat. Deinde graculorum genus contemnens formosis pavonibus se immiscebat. Qui autem dolum animadvertentes graculum pinnis spoliaverunt eumque in fugam eiecerunt. Sed etiam graculi reppulerunt, ad quos tristis redibat graculus. Quorum unus, monimentum iniuriae addens : « Neque a pavonibus iniuriam passus esses neque nos te expulissemus, si contentus tua sorte fuisses. »

FABULA IV

CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS

Canis dum fluvium tranat carnem dentibus ferens, in aquarum speculo imaginem suam repercussam vidit. Quare, putans alium canem per fluvium natantem aliam praedam portare, illam eripere voluit. At eius aviditas decepta est, quia non modo cibum quem petebat attingere non potuit, sed illum amisit quem ore tenebat.

FABULA V

VACCA, CAPELLA, OVIS ET LEO

Vacca et capella et ovis cum leone in saltibus olim venantes ingentem cervum ceperant eumque quadripertito diviserant. Tum Leo : « Primam — inquit — partem tollo, quia nominor leo ; secundam vero mihi tribuetis quia sum fortis; tertiam partem sumo, quoniam sum vobis validior ; quartam demum si

quis tetigerit, male eum mulcabo. » Ita improbus totam praedam abstulit abiitque.

FABULA VI

RANAE AD SOLEM

Sol quondam uxorem ducere cupiebat. Acceperunt ranae et ad sidera ingentem clamorem sustulerunt. Quaesivit Iuppiter causam. Tum incolae stagni : « Siquidem unus sol lacum nostrum exurit, quidnam futurum est si liberos uxor ei procreabit ? »

FABULA VII

VULPES AD PERSONAM TRAGICAM

Personam tragicam vulpes olim vidit eamque versavit; et : « O quanta species cerebrum non habet ! » in spe decepta secum dicebat.

FABULA VIII

LUPUS ET GRUIS

Haerebat olim faucibus os acutum, quod lupus devoraverat.

Quare maria montesque pollicebatur, si quis illud extrahere valeret. Nemo tamen improbis faucibus caput suum credere audebat. Tandem praemiis iureque iurando gruis adducta, lupo periculosam medicinam fecit. Quare a latrone praemium pactum flagitavit. Tum ille admiratus : « Ingrata es — inquit — quae e faucibus meis caput incolume extraxisti postulasque mercedem ! »

FABULA IX

PASSER AD LEPOREM CONSILIATOR

Passer olim leporem reprehendebat, qui, ab aquila captus, acutos edebat questus : « Ubinam pernicitas pedum ? Moriaris igitur, quae capi passa es. » Inter haec accipiter passerem corripuit incautumque interfecit.

Tum lepus, paene exanimis, querentem passerem contemnens : « En mortis solacium ! Qui securus mea mala irridebas, nunc simili gemis querela ! »

FABULA X

LUPUS ET VULPES IUDICE SIMIO

Lupus olim furti crimine vulpem accusabat; quae tamen negabat se furtum commisisse. Quare simium adierunt, qui litem componeret. Peroravit uterque causam suam ; tum simius hanc sententiam protulit : « Nego te, lupe, aliquid perdidisse ; tu, vero, vulpes, certe subripuisti quod negas. »

FABULA XI

ASINUS ET LEO VENANTES

Asellus et leo olim simul venabantur. Leo arbustis frondosis comitem contexerat eumque admonuerat, ut ruditibus feras terreret. Quae clamore asini e latibulis excitatae, in

ungues leones incidebant, lacerabantur horrende.

Caede tandem fessus leo, asinum evocavit vocemque premere iussit. Tum ille : « Nonne insignis opera vocis meae ? » Cui leo : « Insignis ! Tuis equidem clamoribus perterritus fugissem, nisi animum tuum genusque novissem. »

FABULA XII

CERVUS AD FONTEM

Cervus olim postquam ad fontem sitim restinxerat atque illic aliquantum constiterat, in liquore imaginem suam repercussam vidit. Quare ramosa cornua admiratus est eaque laudavit ; crura vero, quarum nimia tenuitas displicebat, contempsit. Subinde venantium vocibus subito conterritus, per campum fugere coepit levique cursu canes elusit. In silvam tandem confugit, ubi ramis impeditus atque retentus est ; neque venatores fugere potuit ; quare a canibus correptus et lacera-

tus : « O me infelicem ! — inquit — Crurum despecta tenuitate servatus, pulchris cornibus proditus pereo ! »

FABULA XIII

VULPES ET CORVUS

Corvus olim de fenestra quadam caseum rapuerat eumque in arbore tranquille manducare volebat. Vidit vulpes, quae ita ei dicere coepit : « Scisne, corve, quam splendide tuae luceant pennae ? Quanta vultus venustas ! Nulla ales tecum contendere certe posset, si parem vocem haberes. » Hic corvus dum vocis suavitatem ostendere vult, dulcem caseum demisit, quem dolosa vulpes avidis dentibus statim arripuit.

FABULA XIV

EX SUTORE MEDICUS

Sutor, ad inopiam redactus, medicinam exercere coepit salutiferamque quandam potionem venditare, medicamentum mentiens

contra venenum. Itaque fallacibus verbis sibi famam paraverat.

Aegrotabat forte rex urbis, qui in arcanum quendam morbum inciderat; sed eius artem explorare voluit ante quam se ei committeret. In poculo igitur simulavit venenum simul cum antidoto miscere medicoque, praemio promisso, suadebat ut potionem ebiberet. Ille autem, mortem metuens, candide est confessus non medicinae prudentiā, sed vulgi credulitate se nobilem factum esse.

Quare rex in contionem populum statim advocavit omnesque dementes appellavit, qui ei capita credidissent, cui nemo pedes calceandos commisisset.

FABULA XV

ASINUS AD SENEM PASTOREM

Cum principatum mutant pauperes solum nomen domini mutant. De qua re hanc audite fabellam.

In prato asellum pascebat senex. Qui cum hostes adventantes sensisset asinoque suaderet ut secum fugeret, ne caperentur, ei asinus : « Num putas — inquit — victorem mihi binas clitellas imponere posse ? » Senex negavit ; tum asinus : « Ergo quid mea interest — inquit — cui serviam ? Utut res evenerint, certe mihi semper serviendum erit ! »

FABULA XVI

OVIS CERVUS ET LUPUS

Cervus ovem orabat, ut sibi modium tritici commodaret lupumque sponsorem offerebat. Sensit ovis dolum aliquem in re latere negavitque se triticum cervo daturum esse. « Ubinam — respondit — vos requirere potero, cum aderit dies quo debitum erit solvendum ? Lupus enim rapere et abire semper adsuevit, tu vero levi cursu omnes semper vitas ! »

FABULA XVII

OVIS CANIS ET LUPUS

Canis ab ove panem petit quem falso affirmat se commodasse. Lupus, testis advocatus, non unum, sed decem panes canem ovi commodasse falso confirmat. Quare ovis, falso testimonio damnata, quod non debebat solvit. Post paucos dies autem in fovea lupum iacentem videns : « Hoc est — inquit — praemium mendacii ! »

FABULA XVIII

MULIER PARTURIENS

Mulier instante partu humi iacebat flebiles gemitus ciens. Hortabatur vir, ut in lecto recumberet, quo melius partum redderet : « Nego — inquit — malum meum feliciter finem posse habere illic unde cepit initium. »

FABULA XIX
CANIS PARTURIENS

Canis olim, partu instante, a cane impetravit, ut hospitio acciperetur in eiusque tugurio catulos suos ederet. Subinde ab hospite rogavit ut pateretur pullos suos illic posse manere quoad facti essent firmiores. Demum cani tugurium suum validius flagitanti : « Experire — inquit — hinc nos eicere, si potes ! »

FABULA XX
CANES FAMELICI

Corium in fluvio mersum viderunt olim canes illudque comesse voluerunt. Quare aquam ebibere coeperunt ; at rupti prius iacuere quam consilium exsequerentur.

FABULA XXI
LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS

Leo infirmus, aetate morboque confectus, in cubili iacebat. Quare aper eum extremum

paene spiritum trahentem dentibus arripuit veteremque vindicavit iniuriam. Subinde taurus cornibus petivit. Asinus tandem calcibus eum impune percussit.

Quare ferarum rex extremum halitum efflans : « A fortibus — ait — iniurias quamvis indigne tuli; a te feritus, naturae dedecus, bis mihi mori videor. »

FABULA XXII
MUSTELA ET HOMO

Mustela, ab homine deprehensa, ut sibi parceret orabat et fugere sineret : « Nonne domum a muribus molestis purgo ? » Cui homo : « Num mea causa facis quod iactas ? Nonne mures devoras ut reliquiis ipsisque muribus fruaris ? »

FABULA XXIII
CANIS FIDELIS

Nocturnus fur, pane obiecto, cani suadere temptabat ne dominum e somno excitaret.

Tum ille : « Falleris qui speras dono os meum te occludere posse. Timeo enim Danaos et dona ferentes ! »

FABULA XXIV

RANA RUPTA ET BOS

Olim rana bovem ingentis magnitudinis in prato vidit eumque imitari voluit rugosam pellem inflando. Deinde e natis suis quaesivit essetne bove latior facta. Illi negarunt. Tum rana validius pellem inflavit ; at rupto corpore in prato iacuit.

FABULA XXV

CANES ET CORCODILI

Olim canis currens aquam fluminis raptim lambebat, ne a corcodilo arriperetur.

Tum corcodilus : « Cur non tranquillus bibes ? » Ei canis : « Amice — respondit — scio carnem meam movere tibi salivam. »

FABULA XXVI

VULPES ET CICONIA

Vulpes ciconiam ad cenam secum olim vocavit eique liquidam potionem in patina apposuit. Sorbitionem nullo modo illa attingere valuit ; quare esuriens domum rediit.

Postero die ciconia invitavit vulpem cibumque contritum in lagoena apposuit. Quare vulpes fame laborans : « Par — inquit — gratia mihi redditur hodie ! »

FABULA XXVII

CANIS ET THESAURUS ET VULTURIUS

Canis quondam dum, fame incitatus, ossa humana effodit, thesaurum invenit. Quare cum Manium iura violasset poenas pendebat thesaurum inventum custodiendo, omnino cibi oblitus.

Postremo vulturius ei animam efflanti : « Pares luis poenas sanctae religioni — inquit — qui in trivio natus, cum faece populi educatus, regalem concupisti thesaurum. »

FABULA XXVIII
VULPES ET AQUILA

Aquila quondam vulpinos catulos rapuerat inque nidum, suis pullis escam, eos sustulerat. Exorabat mater ne se catulis orbaret tantumque sibi luctum afferret. Frustra, tamen : perseverat aquila, a periculo tutam se fore putans. At vulpes, face ab ara correpta, flammis celsam arborem circumdedit. Quare aquila, pullos suos sospites volens, matri supplici catulos incolumes reddidit.

FABULA XXIX
ASINUS IRRIDENS APRUM

Occurrit olim asinus apro dixitque : « Salve frater ! » Tum aper : « Num tibi frater ego ? Nonne mentiris ? » Tum asinus membrum quod demissum pendebat ostendit respondit-que : « Nonne est huic simile rostrum tuum ? » Vix aper iram repressit abiitque ne ignavo sanguine illius se contaminaret.

FABULA XXX

RANAE METUENTES TAURORUM PROELIA

Rana tauros videbat cornibus luctantes in palude timebatque ne qua instaret sibi pernicies : « Quamquam de principatu certant tauri, quamquam alibi sedem illi habent, eorum ille qui de agone inferior discedet in secreta paludis latibula veniet nostrumque proteret caput. »

Aliquod periculum igitur humilibus paratur, dum dissident potentes.

FABULA XXXI

MILUUS ET COLUMBAE

Columbae, pennarum celeritati confisae, miluum saepe fugerant necemque vitaverant. Quare raptor, fallaci consilio usus, dolo inerme genus tandem decepit. E columbis enim quaesivit olim cur sollicitam semper vitam ducerent : « Cur non me regem potius creatis, qui vos servem tutasque a cuiusvis generis

iniuria semper praestem ? » Credulae ei se tradiderunt columbae, ille singulis vesci coepit saevisque unguibus imperium exercere. Tunc ex omnibus una superstes relicta : « Poena merito afficimur, quae improbo nos commisimus. »

LIBER SECUNDUS

AUCTOR

Hoc tantum a fabulis expetimus : ut exemplis doceant, ut errores hominum corrigant, hominumque industriam, magis magisque diligentem faciant. Exemplis enim docent fabulae Aesopi. At valent exempla docere homines ? Docent ; eo pacto tamen, ut non nomine solum scriptoris nitantur.

Egomet morem rationemque Aesopi quantum potero servabo. Aliqua tamen addam ; neque velim, lector, in malam partem id accipias, dummodo varietatem, dommodo pristinam brevitatem servem.

FABULA I

IUVENCUS, LEO ET PRAEDATOR

Leo iuvencum occiderat. Tum praedator accurrit partemque sibi postulavit. Reiecit leo dicens : « Darem, nisi per te sumere soleres. »

Deinde viator innoxius in eundem locum forte est deductus ; qui cum leonem vidisset, retro rettulit pedem. Cui fera : « Nulla, amice, est causa cur aliquid timeas — inquit — ; ut enim es modestus, aequo iure partem praedae sumes. »

FABULA II

ANUS DILIGENS IUVENEM, ITEM PUELLA

Mulier mediae aetatis, neque tamen turpis, iuvenem hominem amabat eumque sibi devinctum tenebat, corporis cultu et lautitia annos suos celans. Item pulchra puella iuvenem amabat. Quae ambae dum sibi parem iuvenem efficere volunt, ei capillos avellere coeperunt.

Putabat ille se pulchriorem cura mulierum fieri ; at calvus factus est. Puella enim canos capillos, anus autem nigros evellerat.

FABULA III

AESOPUS AD QUENDAM DE SUCCESSU IMPROBORUM

Quidam, vehementibus morsibus canis laceratus, panem cruore suo tinctum miserat ei, quod remedium vulneris audierat esse. Aesopus : « Noli — inquit — hoc coram pluribus canibus facere. Quodsi senserint tale praemium malefici sibi dari, nos omnes vivos isti devorabunt.

FABULA IV

AQUILA FELES ET APER

Forte in sublimi quercu fecerat nidum aquila ; feles in cavo quercus catulos pepererat; aper, autem, tertia, ad imam quercum, in cavernula, fructum naturae deposuerat.

Feles ad nidum aquilae die quodam scandit eique : « Et tibi — inquit — et mihi magna pernicies paratur. Vidistine aprum terram quotidie fodientem ? Quercum ille evertet quo facilius natos nostros opprimat.

Dein cubili apri setosae adiit : « Perniciem — ait — porcellis tuis aquila parat ! Inopinantes enim vos pascentes deprehendet catulosque corripiet. »

Quare feles locum timore complevit; deinde in cavernula tranquilla, timorem simulans, diu se condidit, et per silentia noctis, suspenso pede, sibi catulisque escam exquirit.

Toto die suspiciose prospicit aquila, suspiciose suspicit aper ruinam uterque timens. Ita, inedia cum suis consumpta, largam escam feli eiusque catulis praebuit uterque.

FABULA V
CAESAR AD ATRIENSEM

Caesar Tiberius olim Neapolim petens in Misenensem villam venit, quae hinc mare Siculum prospicit, illinc Tuscum respicit.

Tum atriensium unus, splendido linteo nitens cincinnisque exornatus, humum aestuantem limpha aspergebat spe libertatis permotus ; semperque principem praecurrebat ne pulvere perfunderetur.

Tandem Caesar, ne in errore perseveraret ille, eum advocavit : « Operam laboremque perdis — inquit — quia multo maioris alapae[1] meae veneunt. »

FABULA VI

AQUILA ET CORNIX

Aquila in sublime testudinem sustulerat ut ea tamquam esca uteretur. Illa autem cornea domo inclusa, nullo modo laedi poterat. Tum cornix propter aquilam volans : « Opimam sane praedam unguibus stringis ; tempus tamen et operam perdes, nisi quid sit faciendum ego tibi monstravero ». Dein, parte testudinis promissa, de caelo illam demittendam docuit : saxum illisurum duram corticem, saxum escam aperiturum esse.

FABULA VII

MULI DUO ET RAPTORES

Duo muli ibant olim sarcinis gravati. Eorum unus fiscos pecuniae plenos portabat,

1. Alapa enim in libertatem vindicabantur servi.

alter vero saccos hordeo tumentes. Quare ille superba cervice incedebat, clarum tintinnabulum iactans, hic autem quietus, pone eum ibat. De improviso latrones ex insidiis erumpunt, divitem mulum ferro vulnerant, nummos diripiunt, vile hordeum neglegunt. Alter vero mulus : « O me fortunatum ! — inquit — qui neque hordeum perdidi neque vulnus accepi. »

FABULA VIII

CERVUS AD BOVES

Cervus e latibulis excitatus, venatores olim fugiebat et necem instantem. Quare in proximam villam confugit et in bubile se abdidit. Tum bos : « Putasne te in tutum huc confugisse ? Nonne neci occuristi hoc perfugium exquirens ? »

At supplex : « Vos modo mihi parcatis, salvus evadam; occasione oblata enim foras erumpam. »

Servus rusticique eunt redeunt : nihil vident.

Gaudet cervus, bubus gratias iam agit ; at unus : « Ista sorte profecto gaudemus, sed

vide ne veniat ille qui centum oculos habet.

Inter haec dominus villae in bubile venit. Qui dum omnia perspicit attenteque scrutatur bovesque paene ieiunos miratur, accedit ad praesepe, frondem insuper addit, stramenta sternit, araneam tollit. Nimirum ergo dum singula scrutatur alta cervi cornua deprehendit : quare familiam convocat feramque iubet occidi.

Epilogus

AUCTOR

Aesopo olim statuam posuere Attici, quamquam ille fuerat servus ; scirent omnes viam honoris gloriamque non solum certo generi civium patere, sed omnibus qui virtute praediti essent. Ego Phaedrus summopere studui, ne unus ille in hoc genere exstaret eumque sum imitatus non invidia sed aemulandi cupidine percitus. Quare si Latini meo labori faverint, plures scriptores habebunt quos Graecis opponant. Quodsi autem voluerint

invidi me mordicus carpere, tum conscientiam laudis saltem servabo.

In manus doctorum virorum hic liber fortasse veniet; quare si fabularum ars animum tuum, lector, attinget, minime ego querar me curis aliquando esse cruciatum. Sin autem hic labor meus in manus eorum veniet quos malevola genuit natura, durato corde patiar; expectabo tamen, donec fortunam sui criminis pudeat.

LIBER TERTIUS

PHAEDRUS AD EUTYCHUM

Qui fabulas Phaedri legere cupit, vacet a negotiis oportet, Eutyche, quo melius animus eius, solutus curis, vim carminis sentiat. « At carmina tua — tu quaeris — tanti esse putas, ut ego in legendo momentum temporis impendam ? Venient feriae — dices fortasse — ; feriae mihi ad legendum otium praebebunt. » « At nugas meas tum leges, an curam rei domesticae impendes ? an uxorem coles animumque corpusque laxabis ? » Vitae genus mutandum — amice — si cupis limen Musarum intrare. Super iuga Pieridum mater me genuit neque poetae in suum coetum me libenter recipiunt. Num putas illic eum facilius accipi qui docto labori dulce lucrum praeponit ?

Tamen fabularum librum tertium stilo Aesopi exarabo tibique eum ob tam multa tua merita dicabo.

Quem si leges laetabor ; sin minus, posteri aliquid quo se oblectent certe habebunt.

Nunc autem tibi explicabo cur fabularum genus inventum sit. Servus quidam cum dicere non auderet quae volebat, ea quae sentiebat in fabulas transtulit poenamque fictis iocis elusit. Eius vestigia ego pressi pluresque fabulas finxi quam ille reliquit meamque calamitatem delectavi. Quod profecto non facerem dignumque me tantis malis fatererer nisi Seianus accusator mei fuisset, Seianus testis criminum meorum, idemque Seianus iudex mei exstitisset. Neque fabulis dolorem meum delenirem. Tamen si quis, ad suspiciones inclinis, ea sibi tribuat, quae in commune ponenda ego scripsi, haec sibi habeto : me non singulis notam infamiae inurere voluisse, sed ipsam vitam ostendere quae sit et hominum mores.

Dicet quispiam fortasse me suscepisse rem gravem. Quamquam si potuit Aesopus Phryx natione, si Anacharsis potuit oriundus a Scythis gravem rem suscipere, cur non ego possum qui natione sum Graecus ? Floruit Thracia gens copia auctorum, siquidem Apollo

Linum genuit, siquidem Musa Orpheum peperit, qui saxa cantu movit, feras domuit, Hebri fluvii impetum continuit.

Quare hinc livor abesto : mihi quoque laudes poetarum debentur !

Has fabulas, Euthyche, ut legeres scripsi ; fac igitur candide dicas quae sentias de me.

FABULA I

ANUS AD AMPHORAM

Anus amphoram iacentem vidit, quae quamquam epota, quamquam exhausta omnino, falernum iocunde redolebat. Quare postquam avide olfecit : « O suavis anima ! Qualis fuit in te dulcitudo, siquidem tam dulces sunt reliquiae ! »

FABULA II

PANTHERA ET PASTORES

Qui despecti sunt parem gratiam saepe referunt.

Panthera olim in foveam imprudenter cecidit. Viderunt agrestes ; quare alii fustibus, alii

saxis eam feriebant; alii autem, eius miseriti, panem in foveam demittebant. Demum securi omnes domum dormitum abeunt, pro certo habentes eam nocte perituram esse.

At illa simul atque sensit languidas vires refectas, levi saltu e fovea exsiluit et in cubile suum confugit ! tum post paucos dies illinc provolavit, ut parem iis gratiam referret qui laeserant : pecus trucidavit, pastores dissipavit. Timent omnes ; qui ei pepercerant, orant ut vitam saltem sibi salvam faciat. Omnibus tamen panthera : « Bene memini — inquit — quis vestrum saxo, quis fuste me laeserit, quis vero panem miserit. Quare nolite timere vos qui mihi pepercistis ; damno enim eos solum afficiam qui me laeserunt.

FABULA III

AESOPUS ET RUSTICUS

Olim oves oviculas pepererunt humano capite monstruosas. Quare dominus, monstro exterritus, ad consulendos hariolos cucurrit.

Horum alter periculum domini capiti imminere respondet illudque immolando hostias esse avertendum, alter uxorem eius adulterium commisisse explicat, nothosque esse domini liberos ; quare crimen maiore hostia expiandum esse. Quid multa ? Alius alia cura hominem cumulat vexatque ; cui demum Aesopus, emunctae naris senex : « Si vis prodigia expiare, da — inquit — uxores pastoribus tuis. »

FABULA IV

LANIUS ET SIMIUS

Quidam vidit olim ex uncino lanii simium inter reliqua opsonia pendere, et : « Quid sapit iste ? » quaesivit. Tum lanius iocans : « Quale est caput — ait — talis sapor. »

Egomet a lanii sententia dissentio, quia formosos saepe inveni pessimos ; optimos autem cognovi eos qui turpem faciem praebebant.

FABULA V

AESOPUS ET PETULANS

Quidam petulans contra Aesopum lapidem olim coniecerat. Qui non ei succensuit; immo assem dedit, parvam pecuniam excusans et promittens se monstraturum esse unde plures asses accipere posset. » Quare divitem potentemque hominem ostendit in quem lapidem impingeret. At petulans deceptus fuit in spe, quia comprehensus poenas cruce persolvit.

FABULA VI

MUSCA ET MULA

Musca olim in temone sedebat mulamque increpabat : « Cur es tam tarda ? Visne aculeo meo collum tibi compungam ? »

Cui mala : « Citius progrediar ; sed non timeo te, inepta ; potius istum timeo, qui lento flagello iugum meum temperat frenisque continet ora spumantia. Quare aufer frivolam insolentiam, quia ubi sit tricandum probe scio et ubi currendum. »

FABULA VII

LUPUS AD CANEM

Lupus macie confectus cani pingui et bene pasto olim occurrit. Quare : « Unde tibi — ait — nitor iste ? » Canis respondit : « Dominus mihi cibum diligenter parat : limen eius domus custodio a furibus eiusque noctem tutam facio. » Tum lupus : « Et ego — inquit — eadem ista domino praestabo, modo ne imbres nivesque patiar, modo ne in silvis asperam vitam traham. Velim et ego sub tecto vivere otiosus ciboque satiari. » Illum canis hortatur ut secum veniat. Dum procedunt collum canis catenā obtritum lupus videt quaeritque : « Quid hoc, amice ? Unde fricatio ? » « Nihil est. Quoniam acrior interdum videor, ligant me ut vigilem quiescendo. » « Licetne tibi obire quo animus fert ? » « Non licet. » Tum lupus : « Nolo isto pacto regnare. Libertas enim praeter omnia suavis. »

FABULA VIII

SOROR ET FRATER

Quidam filiam turpissimam specie habebat, puerum vero pluchra facie decorum.

Olim speculum per iocum isti inspiciebant imaginemque suam repercussam contemplabantur. Quare gaudebat filius seque formosum iactabat; filia autem irascebatur, in malam partem iocos fratris accipens. Tum illa fratrem apud patrem criminatur, quod, vir natus, mundum muliebrem tetigerat. Tum pater ambos amplectens hortatur ut saepe speculo utantur : alterum ne formam nequitia corrumpat, alteram vero ut bonis moribus turpem faciem emendet.

FABULA IX

SOCRATES AD AMICOS

Commune est nomen amici, fides autem rara.

Socrates olim parvam domum sibi exstruebat. Quidam ex eo quaesivit cur tam parvam eam fecisset. Tum ille : « Utinam possim veris amicis istam replere ! »

FABULA X

POETA

Cum credere, tum non credere plenum periculi est. Hoc testatur Hippolitus, cuius pater credidit novercae ; obtestatur praeterea Cassandra, cuius patria ruit ab alto, quia ei non credidere cives. Quare veritatem attente exploremus oportet, prius quam sententiam de quavis re profiteamur. De qua re aliquid narrabo quod temporibus nostris evenit.

Vir quidam uxorem et filium amabat virilemque huic togam iam parabat. Res liberto displicuit, qui rei familiaris heredem se futurum esse sperabat. Hic dominum in secretum abduxit multaque de puero, multa de uxore mentitus, adulterii eam accusabat; adulterum, immo, saepe illuc ventitare dicebat domumque turpi stupro polluere.

Simulavit maritus ad villam se velle conferre; at noctu domum subito invasit, cubiculum uxoris recte petivit, ad lectum accessit, in tenebris adulteri caput temptavit, tonsum sensit, acerbo ferro transfixit. Ita dolorem suum vindicavisse putavit.

Adfert tandem familia lucernam : imprudens filium occiderat, quem sancta mater secum cubare iusserat eius castitatem diligentius custodiens. Cuius rei pater poenam reddens eodem ferro se transfixit.

Fuerunt qui uxorem accusarent, fuerunt qui eius tuerentur innocentiam. Tandem divum Augustum adierunt, ut intricatam causam expediret. Qui, re attente perspecta, libertum damnandum censuit et ex eo poenas esse quaerendas : istum enim nato viroque uxorem orbavisse.

Ex quo hoc colligendum putat poeta : res certe futura non esset, neque vir scelere funesto domum funditus evertisset si mendacium liberti antea diligenter perpendisset.

FABULA XI

EUNUCHUS AD IMPROBUM

Litigabat olim eununchus cum improbo quodam, qui, praeter cetera, amissam viri propriamque vim ei obiciebat. At ille : « Cur —

inquit — delictum fortunae accusas ? Nonne turpe est illa obicere mihi quod pati ego non merui ? »

FABULA XII

PULLUS AD MARGARITAM

Pullus gallinaceus dum escam in sterquilino quaerit margaritam repperit. Tum : « Memet te invenire — inquit — cui multo potior cibus ? Certe non indigne hic iaceres si quis gnarus pretii inveniret ! »

FABULA XIII

APES ET FUCI VESPA IUDICE

Olim apes in alta quercu favos fecerant. Se autem fecisse falso dicebant fuci inertes. Rem tandem vespa iudicavit; eo pacto tamen se indicaturam esse dicebat, ut cum apes, tum fuci facerent quae edixisset. « En — ait — vobis favos, en vobis ceram ; mel facite, ut auctor favorum plane appareat. » Placet apibus condicio, fuci vero recusant. Quare

vespa : « Nunc tandem quis fecerit video, eosque video qui non fecerint. Quare favos apes accipiant.

FABULA XIV

DE LUSU ATQUE SEVERITATE

Remissionem animo aliquando dandam esse haec ostendit fabella.

Vidit quidam Aesopum cum turba puerorum nucibus ludentem. Risit. Animadvertit senex ; quare arcum retensum in media posuit via populumque arcessivit. Tamen nemo comperiebat quid sibi vellet ; ne ille quidem qui riserat antea. Tum victor Aesopus : Si arcum semper tensum habueris, citius eum rumpes, quam si quando illum laxaveris.

FABULA XV

CANIS AD AGNUM

Olim agnus vagabatur nescio quid exquirens. Tum canis : « Stulte — inquit — quid erras ? Illic, en tibi, mater cubat. » Cui agnus :

« Non illam, quae me concepit requiro onusque meum in sinu fovens portavit peperitque novissime; illam vero requiro, quae, mei miserita, admoto ubere iacentem nutrivit. Num matris meae intererat utrum niger an albus nascerer ? Utrum femina an masculus? Nonne demum sciebat se lanio filium parituram esse ? »

Amor, ergo, parentes facit, non fatalis necessitas.

FABULA XVI

CICADA ET NOCTUA

Cicada olim clamorem edebat noctuae molestum, quae in tenebris cibum quaerere solet, die autem in arbore cava dormire. Ut taceret rogata, coepit multo validius clamare; rursus suppliciter rogata magis accensa est. Quare noctua : « Quandoquidem cantus tui me dormire non sinunt, simul cantemus; quare veni, si non fastidis : simul una sonemus, cantemus, bibamus. »

Adsensit cicada atque advolavit, quia siti arebat, et quia vocem laudaverat noctua.

Quae eam trepidantem corripuit et occidit. Sic cicada fecit mortua, quae viva facere noluerat.

FABULA XVII

ARBORES IN DEORUM TUTELA

Deligebant dei olim arbores, quas volebant in sua esse tutela. Placuit Iovi quercus, myrtus Veneri; placuerunt Phoebo laurea, pinus Cybebae, alta populus Herculi. Tum Minerva quaesivit cur steriles delegissent arbores. Cui Iuppiter : « Ne videamur honorem nostrum propter fructuum cupidinem vendidisse. » « Dicat quivis quodlibet — Minerva respondit —; mihi gratior oliva eiusque fructus gratiores. » Tum Iuppiter : « Merito, filia, dixisti; quia est stulta gloria eorum, qui nihil utile faciunt. »

FABULA XVIII

PAVO AD IUNONEM DE VOCE SUA

Pavo ad Iunonem venit turpemque vocem querebatur sibi datam, suaves autem cantus

luscinii laudabat. « Splendissima omnium volucrum, ludibrio ego sum omnibus, qui vocem meam audiunt. » Tunc dea pavonem consolans : « At omnes forma, omnes magnitudine vincis. Nulla enim est avis cuius niteant pennae sicut tuae splendent; nulla tam gemmeam splendidamque explicat caudam. » « At quid muta iuvat species, si vincor sono ? » « Arbitrio fati suum unicuique est tributum. Vires enim aquilae datae sunt, melos lusciniae, augurandi potestas corvo, laeva omina cornici data sunt. Quare desine ea adfectare, quae non sunt tibi data, ne, rursus in spe decepta, rursus queraris. »

FABULA XIX

AESOPUS RESPONDET GARRULO

Aesopus, quem unicum famulum dominus habebat, iussus est maturius solito cenam parare. Quare ille ignem quaerit, domus aliquot lustrans, quoad lucernam accendit ; demum recta via, per forum, domum domini redit. Tum quidam garrulus : « Quid tibi,

Aesope, cum lumine ? Nonne sol in medio caelo nunc est ? » Cui Aesopus : « Hominem quaero » abiitque. Scilicet garrulus ille non homo ei visus erat.

FABULA XX
POETA

Multas fabulas etiam tum scribere possim : nolo tamen duabus de causis : primum ne molestus tibi videar, quem multa eaque varia negotia obstringunt ; deinde ne videar scriptoribus omnino fabularum materiam ademisse. Melius est enim ut faber desit labori, quam fabro materies.

Nunc velim promissum serves praemiumque brevitatis reddas. Nam quo magis ad mortem accedo, quo magis imminet mors, eo minus muneris a te usque accipiam. Quare nunc mihi auxilium afferas oportet, donec virium mihi aliquid manebit. Sin autem iuvabis me debilem factum senioque confectum frustra facies, cum mors debitum a me flagitabit. At quid tibi preces meas admoveo cum

ad misericordiam proclivis tu naturā iam videaris ?

Ceterum siquidem veniam reus confessus impetrabit, quanto iustius innocens impetret ? Tu tamen videris ipse quid de me sit iudicandum. Alii iam iudicavere aliique iudicabunt ; bona tamen fide tu me iudicabis.

Plura fortasse dixi quam volui. At quis continet spiritum quem insolenter noxii presserunt ? Quis me laedit ? Ipse fortasse requires ; invenies ad tempus. Satis multa sum passus, satis multa usque patiar, siquidem illud verum est quod puer olim apud poetam quendam inveni : poenas miser dabit si quando quaedam palam aperiet.

LIBER QUARTUS

POETA AD PARTICULONEM

Quamquam terminum huic operi statuendum censui, consilium meum tacito corde damnavi. Nam qui cupit appellari poeta, opus meum ea mente indagabit, ut quid omiserim deprehendat, ut suo proprio colore fabulas perfundat. Quare perrexi porro fabulas scribere.

Fabulas, quae quarto continentur libro, si vacaveris, leges, Particulo ; quas fabulas non Aesopi, sed Aesopias nomino, quia plures quam ille tradidit condidi, vetusto genere usus, novis tamen rebus. Quas carpant sane dente maligni si volent, cum eas imitari non valeant. Unde laus mea ? Quia tu tuique similes fabulas meas in chartas vestras transfertis; tali modo enim me dignum memoria iudicatis. Nulla ergo causa est cur illitteratorum plausum cupiam.

FABULA I

ASINUS ET GALLI

Galli qui Cybeles religionem colebant asinum sarcinas baiulantem in circum ducebant. Qui cum labore plagisque mortuus esset, illi eius pelle tympana sibi fecerunt. Deinde rogantibus quidnam asello fecissent hoc responderant : « Frustra iste speravit se post mortem fore securum; plectitur enim et usque plectetur. »

FABULA II

POETA

Nugas meas diligenter intuearis oportet, ut earum utilitatem reperias, quae magna scilicet in iis celatur. Frons prima enim multos decipit, at non omnes omnino. Visne fabulā explanem quae dixi ? Mustela senio confecta veloces mures adsequi iam non valebat. Quare involvit se farina et in angulo quodam, prostrato corpore, neglegenter iacuit. Venit mus,

mustelam escam putat, adsilit, corripitur unguibus, dentibus perit. Item alter ; tertius similiter. Demum venit mus qui saepe laqueos, saepe muscipulas fugerat. Ille, insidias suspicatus, procul prudens dicit : « Ita tu valeas, quae istic iaces, ut farina tu es ! »

FABULA III
DE VULPE ET UVA

Vulpes olim, fame incitata, conabatur attingere uvam, quae ex alta pendebat vinea. Quam tamen cum saliendo contingere non valeret, illinc discedens dicebat : « Uva nondum matura est neque eam acerbam sumere volo. »

FABULA IV
EQUUS ET APER

Aper in fluminis vado se volutans aquam turbavit, qua equus sitim sedare solebat. Hinc lis orta est ; quare equus iratus, ab homine

auxilium petivit rediitque ad hostem. Subinde homo telis aprum interfecit ; sed cum didicisset quam utilis sibi equus fuisset, eum non dimisit invitumque pati frenos coegit.

Quare maestus equus secum ipse : « Demens fui — dicebat — qui parvae rei vindictam quaerens, servitutem inveni. »

Haec fabella iracundos cohortatur ut se impune laedi patiantur, potius quam dedantur alteri.

FABULA V
POETA

Senex quidam tres filias moriens reliquit ; quarum una ita erat formosa, ut oculis viros captaret ; altera frugi lanam faciebat rurique vitam degebat ; tertia vero, specie turpissima, multum vino indulgebat.

Senex heredem suarum rerum uxorem fecit; eamque iussit rem familiarem tribus filiabus distribuere. Hac conditione tamen : ne filiae hereditatem possiderent neve ea fruerentur, ut matri centena sestertia daret singula

simul ac habere desisset quae accepisset.

Res, quid sibi vellet, Athenas rumore implevit, cum ne iuris periti quidem rem expedire valerent : quomodo enim filiae possent ea possidere quae non accepissent ? Quomodo fructum rei non sibi datae percipere possent ? Postremo, quanam ratione possent matri pecuniam reddere, quam non accepissent antea?

Tum mater iuris peritis neglectis, filiae quae delicias voluptatesque diligebat vestes quibus se exornaret separatim posuit omniaque pretiosa quae ad lavationem pertinerent. Quibus omnibus pueros tenellos eunuchosque addidit. Filiae autem frugi, quae artem lanae diligebat, agellos destinavit, nec non et pecora, villam, operas, boves, iumenta, omniaque quae ad rus pertinerent. Postremo filiae quae potandi cupidini indulgere adsueverat apothecam separatim posuit, cadis antiquis plenam, addiditque domum politam hortosque venustos.

Haec igitur mater filiabus destinaverat Atheniensiumque populus ista iam probabat, cum Aesopus in media turba consistens :

« Quam graviter — inquit — quam graviter pater ferret hoc, si viveret ! Nemo enim vestrum valuit ceterorum solvere errorem eiusque voluntatem interpretari. Quae haec est : ut domus et ornamenta cum hortis venustis vinaque vetera filiam frugi lanificamque sequantur; ut vestes, uniones, servi pedisequi et cetera huiusmodi filiae adsignentur, quae delicate sumptuoseque vitam degere cupit ; denique ut moechae agri donentur necnon et villa et pecora, pastoribus additis.

Quid accidet posthac ? Scilicet ut nulla filiarum bona patiatur, quae suis moribus repugnent : filia enim deformis mundum muliebrem vendet ut sibi vinum paret ; agrum moecha abiciet ut sibi ornamenta comparet ; filia denique, quae lanā laetatur parvo pretio cuivis domum tradet. Sic nulla earum possidebit quod fuerit datum, omnesque matri pactam pecuniam solvent ex pretio scilicet rerum quas vendiderint singulae. »

FABULA VI

PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM

Post pugnam mures, ab exercitu mustelarum devicti, fugientes circum artos latibulorum cavos urgebant ; tandem, recepti, necem vitarunt. At non vitarunt duces, qui cornua capitibus ligaverant tamquam gradus insigne, quo magis conspicui militibus fierent. Quare in portis latibulorum haesere avidisque mustelarum dentibus sunt lacerati.

FABULA VII

PHAEDRUS

Te, qui acuto naso scripta mea suspendis measque nugas fastidis, te aequo animo libellum hunc ferre precor, donec severitatem tuam placem novisque calceatus cothurnis prodeat Aesopus.

Nunc audias quaeso, et fac ego sciam quid de hoc sentias : « Utinam Thessala bipennis pinum Peliacam numquam excidisset ! Utinam ne Argus ope Palladis ratem fabricasset, quae

prima, in perniciem Graiorum barbarorumque pontum patefecit. Hac de causa Aeetae domus luget, hac de causa regna Peliae iacent contrita saevo ingenio Medeae, quae huc illuc membra fratris sparsit caedeque patris manus Peliadum infecit. »

De hoc quid putas ? Hoc quoque insulse falsoque dictum esse tu dicis ; nam Minos, Iasone vetustior, Aegea freta classe perdomuit piratarumque impetum iusto exemplo vindicavit. At quid ego tibi, lector non candide, si neque te iuvant fabellae, neque fabulae ?

Quare noli litteris esse molestus omnia improbans dum sapere stulte cupis.

FABULA VIII

SERPENS AD FABRUM FERRARIUM

Vipera olim in officinam fabri ferrarii venerat ibique temptabat essetne aliquid cibi. Demum limam momordit. Quae arrogans viperae : « Quid me dente captas, laedere temptans ? Ignoras me ferrum ipsum corrodere adsuevisse ? »

FABULA IX

VULPES ET CAPER

Vulpes olim in foveam deciderat inscia, neque ullo modo ex alto margine evadere poterat. Illuc tandem siti compulsus hircus venit vulpemque rogavit an dulcem liquorem copiosumque invenisset. Quae fraudem statim moliens : « Tam copiosam bonamque aquam inveni, ut vix satiari possim. Cur non in puteum descendis ? » Tum caper descendit et vulpes eius cornibus innixa evasit et puteo caprum clausum relinquens.

FABULA X

DE VITIIS HOMINUM

Iuppiter nobis duos sacculos imposuit; quorum alterum propriis vitiis repletum post tergum dedit; alterum autem alienis vitiis repletum ante pectus suspendit. Hac re aliena vitia reprehendimus, nostra autem ne videmus quidem.

FABULA XI
FUR ET LUCERNA

Fur quidam in templo ex ara Iovis lucernam accendit Iovemque ita compilat. Discedit postea sacrilega praeda onustus, cum subitam vocem simulacrum emittit : « Quamquam ista munera semper tam parvi feci, ut libenter passus sim ea subripi, tamen poenas dabis, cum venerit dies. Nunc nolo ignem, quo pii homines deorum numina excolunt, lumen facinori praebeat. Quare veto lucernam aliquam ex aris deorum accendi ; veto ignem, quo sacra deorum incenduntur, de lucerna aliqua accendi.

FABULA XII
MALA ESSE DIVITIAS

Hercules in caelo receptus, deos persalutabat propter virtutem gratulantes. Venit Pluto, filius Fortunae ; Hercules oculos avertit, patrique causam quaerenti : « Odi — inquit — istum, qui amicus improbis est et cuncta lucro corrumpit. »

FABULA XIII

DE LEONE REGNANTE

Leo, qui se regem ferarum crearat cupiebatque famam aequitatis consequi, pristinam consuetudinem mutavit parvoque cibo contentus sancta iura servabat legesque incorruptas. At eum paenituit, incertus... [1].

FABULA XIV

PROMETHEUS [2]

FABULA XV

IDEM

Quidam olim senem rogabat cur, quanam causa Promotheus tribadas mollesque mares creasset. Cui ille : « Temporibus quibus Pro-

---

1. Cetera desiderantur omnia. Huic fabulae unam inscriptionem (« de leone regnante ») tribuit Lucianus Mueller. Dominicus Bassi autem (Aug. Taur. 1920) tres priores versus a sex posterioribus seiunxit.

2. Duo solum exstant versus huius fabulae, eosque nullo modo intellegere datur.

metheus, virum atque feminam fictiles effingebat, toto die illas corporis partes fingebat, quas nos pudore celamus, easque corporibus luto effictis aptabat. Tum accidit ut, a Libero ad cenam invitatus, multo nectare venas irrigaverit olim. Quare sero domum titubanti pede reversus laborem confecit antea intermissum. At ut erat vino somnoque repletus, in errorem delapsus, masculina membra feminis adplicuit, virginale autem hominibus.

Haec est causa cur pravo gaudio aliquae feminae et aliqui mares fruantur.

FABULA XVI

DE CAPRIS BARBATIS

Capellae a Iove ut sibi barbam faceret impetraverant ; quare hirci indignari coeperunt, quod feminae sibi dignitate aequarentur. At Iuppiter : « Sinite illas vana gloria frui, dommodo ne par sit fortitudo earum. »

FABULA XVII

DE FORTUNIS HOMINUM

Aesopus hac fabula quendam consolatus est fortunas suas querentem.

Navis olim vexabatur saevis tempestatibus; quare vectores lacrimas effundebant mortem timentes. Ex improviso, tamen, secundis flatibus coepit navis ferri, quare nautae nimia hilaritate extolli coeperant. Tum gubernator sapienter : « Gaudiis istis — inquit — aliquot questus interdum misceatis, quaeso ! Dolor enim et gaudium totam vitam aeque complent. »

FABULA XVIII

CANUM LEGATI AD IOVEM

Ad Iovem canes olim legatos suos miserunt, ut meliorem sibi vitam donaret neque semper contumeliis hominum afficerentur : furfure enim panem conspersum edebant, turpi fimo plerumque famem explebant.

Profecti sunt igitur legati ; lento tamen pede, quia morabantur saepius naribus in ster-

core escam scrutantes. Vix tandem Mercurius invenit eosque metu turbatos ad regiam Iovis perduxit. Tum ut vultum Magni Iovis viderunt totam regiam timentes excrementis inquinavere. Quare servi fustibus eos expulerunt ; Iuppiter tamen vetuit illos domum reverti.

Canes mirabantur interea legatos suos nondum reverti timebantque ne quid turpe commisissent ; quare ad Iovem alios canes miserunt, quorum anum multo odore tamen repleverant. Aditum isti impetrant, mandata recitant. Tum omnia subito fulmine Iovis fremere coeperunt; quare canes timentes totam fecibus contaminavere regiam.

Rursus reclamant omnes vindicandam esse iniuriam. At Iuppiter ita est locutus : « Neque veto legatos dimitti neque eorum culpa poena carebit. » Quare ad canes conversus : « Ad vestros vos certe redibitis, fame tamen cruciabimini, quo facilius ventres vestros contineatis. Neque umquam contumelia hominum carebunt isti, qui vos tam futiles legatos huc miserunt. »

FABULA XIX

SERPENS, MISERICORDIA NOCIVA

Vir quidam serpentem gelu rigentem invenit eumque in sinum ut foveret reposuit, nesciens quantum misericordia sibi ipsi nocitura esset. Nam serpens, simul ac refectus est, virum a quo beneficium acceperat protinus momordit. Serpens illis qui ex eo quaerebant cur id fecisset : « Ne quis improbis prodesse posthac audeat » respondit.

FABULA XX

VULPES ET DRACO

Vulpes olim dum suum cubile cuniculosque altius fodit, ad speluncam draconis pervenit, qui abditum thesaurum custodiebat. Ante omnia vulpes draconem oravit ut imprudentiae veniam daret, responderet deinde, si visum esset, quomodo aurum vitae suae conveniret : « Nonne hunc unum fructum percipis ex isto labore, ut somno careas tuumque aevum agas in tenebris ? » Tum draco :

« Vera — inquit — vera dixisti ; summus Iuppiter haec mihi tamen mandavit. » Cui vulpes : « At nihil ex isto thesauro sumis neque cuiquam aliquid donas ! » Et ille : « Ita fatis placuit. » Tum vulpes : « Ne mihi succensueris igitur cum libere dico iratos deos te nascentem conspexisse nec non omnes praeterea qui similes tibi nati sint. »

Quare avarus haec sibi habeto : « Abiturus illuc quo universi maiores abierunt, cur ille mentem spiritumque suum torquet ? Cur gaudium heredibus parat, ture fraudans deos, se fraudans cibo ? Cur tristis sonum citharae audit, cur pretia opsoniorum gemitum ex eo exprimunt ? Cur quadrantes aggerans peculium auget sordido periurio funerisque impensam circumcidit ne quod lucrum Libitina de suo funere trahat ? Cur haec omnia ? »

FABULA XXI

PHAEDRUS

Quod iudicium de fabulis meis invidi faciant probe scio. Quodcumque placebit enim,

quodcumque dignum memoria putabunt, dicent me ex Aesopo traxisse ; quaecumque autem displicuerint a me ficta contendent. Invidis tamen haec respondebo : « Sive laudabunt, sive improbabunt, ego hoc opus inveni manuque mea perfeci. Quare inceptum meum persequar.

FABULA XXII

DE SIMONIDE

Simonides, qui egregium melos conscripserat, nobiles urbes Asiae circumire coeperat quo facilius vitam sustentaret laudibus celebrans Olympionicas, mercedis scilicet causa. Quare locuples factus, domum redire cupivit. At navem, quam conscenderat, horrida tempestas in itinere omnino dissolvit : quare alius nautarum zonas, alius res pretiosas, subsidium vitae, colligebat. Semonides cuidam qui curiose ex eo quaerebat cur non et ille idem faceret : « Omnia mea — inquit — in me sunt. » Pauci igitur enatant, plures, onere

divitiarum gravati, undis demerguntur. Postremo a praedonibus naufragi deprehenduntur nudique omnino relinquuntur. Demum Clazomenas naufragi petiere. Ibi litteratissimus vir erat, qui saepe versus Simonidis legerat eosque maxime erat admiratus. Qui ad se poetam cupidissime recepit, veste, nummis, servis exornavit. Dein Semonides denuo dives factus naufragos miserrimos videns : « Nonne — inquit — dixeram vobis me omnia mea mecum portare ? »

FABULA XXIII
MONS PARTURIENS

Mons parturiebat gemitus immanes ciens maximaque exspectatio erat in terris. Demum quamquam magna promiserat, murem peperit ille.

FABULA XXIV
FORMICA ET MUSCA

Formica et musca olim contendebant acriter quaenam earum esset pluris.

Musca, se falsis exornans laudibus, sic coepit prior : « Tu non exta deorum, ut ego, praegustas ubi immolatur ; neque sedes in capite regis, neque casta matronarum oscula delibas. Praeterea nihil laborans optimis bonis fruor. Num quid simile rusticae contigit tibi, formica ? »

Tum formica, solidum decus suum exhibens, muscae respondit : « Summa laude illi vere sunt digni qui ad convictum deorum invitantur. Tu autem illinc abigeris, cum venis ! Aras deorum frequentas ? At abigunt omnes cum venis ! Reges commemoras matronarumque oscula ; nonne tamen ea vesceris quae tegere debet pudor? Nihilne laboras? At nihil habes ! Ego autem aestate granum studiose congero in hiemem ; tu stercore pasceris ; incolumem me domus copiosa servat ; te contractam frigora necant. Tu vides ipsa quaenam nostrum sit pluris. »

FABULA XXV
POETA

Simonides ille poeta, de quo aliqua supra iam rettuli, in secretum quondam recessit ut

laudem cuidam scriberet, qui Olympia vicerat. At cum exigua materies impetum poetae frenaret, poetarum more, geminos Laeda natos cum victore laudavit. Placuit opus, tertia tamen pars pactae pecuniae data est : reliquas illis posceret, quos paribus extulerat laudibus. Ne tamen ab irato dimitti censeret, Olympionices victor ad cenam poetam invitavit. Quamvis fraudatus, quamvis dolens iniuria, promisit Semonides se ad cenam esse venturum.

Recubuerunt omnes hora dicta, splendebat poculis mensa instructa totaque exultabat domus. Tum repente duo iuvenes, multo sudore fluentes multoque pulvere sparsi, advenerunt ; servulo cuidam mandarunt ut ad se Semonidem illico et immediate advocaret. Semonides vix excitatus erat, e triclinii limine vix excesserat, cum subita ruina camerae convivas omnes oppressit. Neque iuvenes reperti sunt, qui poetam arcessiverant. Quonam abierant ? Castoris numen, numen Pollucis scilicet Semonidi poetae vitam pro mercede tum dederant.

POETA AD PARTICULONEM

Multa etiam tum mihi supersunt, quae dicere possum et copiosa etiam rerum varietas. Sed malo suavibus argutiis alios delectare, quam immodicis offendere. Quare, Particulo, dummodo aliquod praemium litteris Latinis maneat, brevitatem saltem, si non ingenium meum, certe probabis. Quae eo magis iure laudanda, quo magis molesti poetae.

LIBER QUINTUS

IDEM POETA

Aesopo, qui has fabulas scripsit, quae debebam iam reddidi; quare sicubi nunc nomen eius interpono, auctoritatis gratia facio. Eadem enim causa quidam artifices, nostra aetate, pluris opera sua vendunt si marmori Praxitelis nomen adscripserunt, si argento caelato Myronis, si tabulis vero Zeuxidis. Cur? Quia mordaces invidi vetustati fucatae magis favent, quam bonis praesentibus. De qua re tamen aliam scribam fabellam.

FABULA I

DEMETRIUS REX ET MENANDER POETA

Quomodo saepe fallatur hominum iudicium

Demetrius, cui inditum est nomen Phalereus, Athenas occupavit easque improbo imperio opprimebat. Ei tamen vulgus, ut est

mos, « feliciter » ubique clamabat, principesque urbis manum osculabantur qua opprimebantur. Etiam resides otiosique ultimi repunt, ne quod damnum sibi paretur. Olim Menander aderat inter ultimos qui tyrannum adierant, cuius comoedias Demetrius legerat atque admiratus erat ; hominem tamen ignorabat.

Ubi tyrannus illum unguento delibutum, vestitu fluentem in extremo agmine vidit : « Quis ille cinaedus, qui ad me audet venire? » Tum qui proximi aderant : « Hic Menander est, fabularum scriptor. Quare omnino mutatus Demetrius : « Formosiorem numquam hominem videram. »

FABULA II

VIATORES ET LATRO

Duo milites, in itinere, in latronem incidérant. Eorum alter tremens profugit, alter vero restitit et fortiter obstitit. Tandem ille qui fugerat, postquam latronem caede oppressum sensit, accurrit gladium stringens, penulāque

super humerum reiecta : « Ubi est ? Sentiet ille profecto quos viros attemptaverit. » Tunc miles qui obstiterat : « Utinam — inquit — istis verbis adiuvisses antea. Ignorantes fallas ; non me, qui bene te novi. Quare conde ferrum simulque os preme. Expertus sum enim quanti sis, quantis viribus fugeris : probe denique scio quae fides virtuti tuae sit tribuenda. »

FABULA III

CALVUS ET MUSCA

Nudatum caput calvi cuiusdam musca momordit ; quare eam opprimere temptans ille sibi alapam duxit. Risit musca et quaesivit : « Siquidem punctum parvulae muscae morte ulciscendum putaveras, qua poena iniuriam inlatam ab ipso vindicabis ? » At ille : « Alapam non ulciscendam censeo, quia non dignum poena me censeo. Tu autem neque casu peccasti neque inscia humano sanguine delectaris. Quare etiam maiore incommodo necabo, si potero. »

FABULA IV

ASINUS ET PORCELLUS

Quidam sancto Herculi porcellum immolaverat reliquumque hordeum asello dari iussit. Noluit asinus reliquiis vesci dixitque : « Ni eum mactavisses, qui antea hordeo nutritus est, istum cibum libenter appeterem. »

Haec est causa quod periculosum lucrum semper vitavi. Sed tu : « Qui divitias rapuere, divitias servant. » « Numeremus tamen, ego te hortabor, quam multis temeritas fuerit pro malo, quam paucis autem fuerit pro bono. »

FABULA V

SCURRA ET RUSTICUS

Dives quidam cum faceret nobiles ludos, proposito praemio, cunctos invitavit ut novitatem qui posset ostenderet. Ventum est ad certamina. Tum scurra quidam promisit se genus aliquod spectaculi prolaturum esse omnibus ignotum. Cives in theatrum concurrunt

rei fama incitati. Scurra solus, nullo apparatu in scaena constitit nulloque adiutore, in sinum pallii caput demisit et vocem porcelli tam bene est imitatus, ut crederent omnes re vera subesse porcellum illumque proferre iuberent. Quare multis laudibus scurra honoratus est. Tum rusticus : « Cras eadem faciam — inquit — melius quam iste fecit. »

Postridie turba in theatrum concurrit, an rusticus melius esset facturus, quam fecerat scurra. Prodit uterque. Scurra prior degrunnit ; eumque vulgus ovans plausu prosequitur. Nunc vicissitudo rustici est, qui re vera porcellum in sinu celaverat ; aurem eius pervellit; quare grunnitum dolens exprimit bestia. Populus tamen scurram victorem adclamat, qui multo similius porcellum imitatus erat rusticumque repellit. Tum ille ipsum porcellum e sinu proferens : « En — inquit — quales vos iudices estis. »

FABULA VI

CALVUS ET QUIDAM AEQUE PILIS DEFECTUS

Calvus in trivio pectinem forte invenit. Alter accurrit etiam ille calvitie affectus, et : « In commune quodcumque invenisti ponendum! » Tum ille pectinem ostendens : « Carbonem pro thesauro invenimus ! Visne rem bipertito partiamur ? »

FABULA VII

PRINCEPS TIBICEN

Tibicinem, cui nomen Princeps, omnes fere noverant, ut erat solitus fabulam Bathylli in scaenam prodere. Forte olim dum pegma mutatur ille gravi casu concidit sinistraque tibia fracta est : domum gemens refertur, procuratur, sanatur.

Post aliquot menses, ut est mos, illud genus spectaculi desiderari coepit. Quare nobilis vir quidam, qui ludos erat facturus, precando Principi suadet ut in theatrum veniat, ut se eo

die, saltem ostendat. Tum rumor de tibicine theatrum invadit : sunt qui eum mortuum credant, sunt qui in scaenam eum mox prodituram esse affirment. Postremo aulaeo demisso, devolutis tonitribus, postquam dei more solito sunt locuti, chorus canticum in honorem Augusti, his fere verbis insonuit : « Laetare, incolumis Roma, salvo principe. » Plaudunt omnes ; de se agi Princeps tibicen putat, iactat basia erga fautores gratulantes.

Equester ordo intellegit stultum errorem, magnosque risu canticum repeti iubet illudque iteratur. Princeps tibicen in pulpito trepide se prosternit ; rursus ei illuditur rursusque ridetur rursusque se totum ille prosternit. Quare universus populus existimans eum coronam rogare eumque consulto superbientem honoribus datis, Augusto principi, ligato crure, nivea fascia, niveis tunicis, niveis etiam calceis eum praecipitem foras protrudit.

FABULA VIII

TEMPUS

Ita veteres Temporis effigiem effinxere : senem cursu volucrem, in novacula semper

pendentem, nudatum capite pilis, fronte comatum, occipitio nudum. Quem fac teneas, si occupaveris, quia brevis rerum occasio !

FABULA IX

TAURUS ET VITULUS

Taurus olim enixe cornibus luctabatur ut in praesepia intraret. Quod cum consequi non posset, vitulus quonam modo se flecteret ei ostendere volebat. Cui taurus : « Tace — inquit — ; ante quam natus es, ea probe novi quae consulis. »

FABULA X

CANIS ET SUS ET VENATOR

Canis qui fortis fuerat adversus feras veloces, quondam, languere coepit ingravescentibus annis. Quare cum olim venando dentibus aurem apri adripuisset, cariosis iam dentibus praedam dimisit. Obiurgavit venator. Respondit canis : « Non animus, vires meae te dereliquerunt. Quare cur non laudas quod fui, tu qui damnas quod sum ? »

APPENDIX

FABULAE NOVAE

FABULA I

SIMIUS ET VULPES

Avarum etiam quod sibi superest non libenter dare.

Simius olim vulpem orabat ut sibi partem caudae daret qua nudas nates posset honeste contegere. At illa : « Licet longior cauda fiat, ne parvam quidem partem tibi tradam ; eam enim per lutum et spinas trahere malim. »

FABULA II

AUCTOR

Non esse plus aequo petendum.

Si natura ex me quaesivisset quaenam virtutes generi humano tribuendae essent, ita ei respondissem : « Fac homines habeant vires elephanti, impetum leonis ; fac ille diu vivat sicut diu cornix vivit. His adde gloriam tauri trucis, placidam mansuetudinem equi velocis, fac denique ne homo sua careat sollertia. »

Risisset fortasse secum Iuppiter : haec hominibus ille negavit, quia si omnia dedisset sceptrum mundi amisisset.

FABULA III

MERCURIUS ET DUAE MULIERES

De eodem alia fabella.

Duae mulieres sordido inliberalique hospitio Mercurium receperant ; quarum una in cunis parvum habebat filium, alteri autem meretricius quaestus placebat.

Voluit Mercurius parem istis referre gratiam ; quare abiturus, iam in limine domus : « Deus ego sum — inquit — faciamque vobis omnia quae vultis. » Tum mater suppliciter rogat ut puerum quam primum barbatum videat ; moecha autem quidquid tetigerit rogat ut sese sequatur. Abit Mercurius; mulieres in conclave redeunt : barbatum infantem inveniunt ! Rem risit moecha eiusque nares humore repletae sunt, ut solet. At nasus manum secutus est usque ad terram. Quare ambae mulieres ridendae exstiterunt.

FABULA IV

PROMETHEUS ET DOLUS

De veritate et mendacio.

Olim Prometheus, qui luto novum genus hominum fingebat, cura subtili Veritatem fecerat, ut inter homines ius tandem referret. A Iove subito arcessitus, commendavit officinam Dolo fallaci, qui disciplinae causa ad eum nuper venerat. Ille studio incensus, dum tempus habuit, callida finxit manu simulacrum omnino par simulacro quod magister effinxerat, sed lutum eum defecit ad faciendos pedes. Rediit Prometheus metuque turbatus Dolus opus infectum reliquit. Miratus est magister tantam similitudinem atque in fornacem ambo signa intulit, ut gloriam propriae artis videret. Signis percoctis e fornace denique tractis spirituque iis infuso, modesto gressu incessit Veritas ; falsa autem imago, quae imperfecta relicta erat, inambulare nequivit.

Haec est causa cur dicant pedibus carere mendacium.

FABULA V

AUCTOR

Sensum aestimandum esse, non verba.

Ixion, quem narrant rota perpetue versari, docet fortunam volubilem esse. Sisiphus qui, in summum montem summo labore saxum contendit trahere, quod de vertice, irrito semper sudore, revolvitur, ostendit miserias hominum esse infinitas. Avarus describitur fabulā Tantali : sitit hic in medio flumine stans, circumfluunt illum bona, neutrum istorum tangere potest. Danaides scelestae, quae dolia fundo carentia urnis complere conantur patefaciunt omnia praeterfluere quaecumque luxuriae dederis.

Tityos per novem iugera porrectus, poenae sempiternae iecur semper renatum praebet ; quo facto significatur graviore illum affici cura, qui maiorem obtinet locum in terris.

Consulto igitur antiqui veritatem velis texerunt ut sapiens intellegeret, rudis autem erraret.

FABULA VI

AUCTOR

Quid nobis utilius sit fac sciamus, Phoebe, qui formosum incolis Parnasum.

Hoc a numine Pythiae exquirimus ; quae tripode commoto, trementibus lauris — dies inter haec ipse pallescit — has voces resolvit canitque : « Audite, gentes, monitus Apollinis : Pietatem colite, vota superis reddite ; patriam, parentes, natos, castas coniuges defendite armis, hostem ferro pellite ; amicos sublevate, miseris parcite ; bonis favete, subdolis obsistite ; delicta vindicate, cohibete impios eosque punite qui turpi stupro thalamos violant ; malos cavete ; nulli nimium credite. » Haec elocuta concidit virgo furens. Cur furens ? At perierunt omnia quae dixit !

FABULA VII

AESOPUS ET SCRIPTOR

Quidam sese multum stulte iactans Aesopo scripta omnino improbanda recitaverat cupiebatque scire quid de illis senex sentiret :

« Num tibi — inquit — nimis superbus sum visus ? Egomet ingenio meo haud vane fidere videor. »

Tum Aesopus, quem pessimum volumen paene confecerat : « Minime improbandus es qui ipse te laudas ; hoc profecto numquam ab alio tibi eveniet. »

FABULA VIII

POMPEIUS MAGNUS ET EIUS MILES

Miles Pompei Magni molliter loquendo, molliter ambulando famam cinaedi sibi comparaverat. Olim ille, nocte, iumentis ducis insidias paravit mulosque cum veste, cum auro et magno pondere argenti auferre est conatus. Rei fama evulgatur : deprehenditur, arguitur miles, in praetorium rapitur.

Tum Pompeius Magnus : « Cur, commilito, me compilare ausus es ? » Miles saliva manum sinistram respergit, sputum digitis dissipat : « Sic — inquit — sic exstillescant oculi mei, si ista umquam tetigi. » Quare Pompeius ut

simplex animo erat fidem ei tribuit, credit eum ad tantam audaciam non valuisse eumque tamquam dedecus castrorum iubet tamen propelli.

Paulo post barbarus quidam Romanorum unum provocat. Metuunt omnes, mussant duces, donec miles ille qui propulsus erat, cinaedus habitu, sed Mars viribus, accedit ad ducem sedentem in tribuali eique molli voce : « Licetne — inquit — cum barbaro vires meas conferre ? » Pompeius imperat ut vir rursus eiciatur. At ex amicis quidam : « Nonne melius est — inquit — istum potius quam fortem virum Fortunae committere ? Istius iactura enim levis ; fortis vir autem, inferior de agone discedens, te temeritatis arguet. »

Permisit Pompeius Magnus militem illum contra barbarum prodire. Qui, mirante exercitu, confestim hostem vicit, eius caput abscidit, victor ad ducem rediit. Cui Pompeius : « Te corona libenter orno, miles, quod gloriam imperii Romani vindicavisti ; sed sic exstillescant oculi mei nisi sarcinas meas nuper tu abstulisti. »

FABULA IX

IUNO, VENUS ET GALLINA

Iactabat olim Iuno suam castitatem ; subrisit Venus voluitque Iovis uxori ostendere nullam mulierem ei parem esse posse. Quare, occasione oblata, gallinam interrogavit : « Dic, quaeso, quanto cibo tibi opus sit ut satieris. » Respondit illa : « Quidquid mihi dederis satis erit, dummodo terram scalpere concedas. » Rursus Venus : « Modium tritici tibi dabo, modo ne terram scalpas ! » Tum gallina : « Satis, immo nimium est, sed permitte me scalpere. Nam etiamsi horreum patebit, scalpam tamen usque. »

Risit Iuno Veneris ioco, quia per gallinam feminas denotaverat illa.

FABULA X

PATERFAMILIAS ET AESOPUS

Quomodo domanda sit ferox iuventus.

Paterfamilias quidam saevum filium habebat, qui, ut fervidus et ferox iuventute erat,

quotiescumque e conspectu patris recesserat, plurimis verberibus servos afficiebat.

Cum autem paterfamilias id quereretur, ei Aesopus hanc fabellam narravit : « Bubulcus quidam vetulo bovi iuvencum adiungere volebat, ut simul ararent. Vetulus autem negabat se diutius posse sustinere iugum impari collo, languidas vires aetatis excusans. Tum bubulcus : « Nulla est causa — inquit — cur timeas; nam non ut labores te adiungo iuvenco, sed ut istum domes, qui calce et cornu multos male mulcavit. »

Tum ad paterfamilias conversus : « Simili modo, filium tuum tecum detinens eius ferox ingenium comprimere poteris. Quod nisi feceris damna tuae domus maiora fortasse fient. Mansuetudo tua enim eius atrocitati remedio sit. »

FABULA XI

AESOPUS ET VICTOR GYMNICUS

Quomodo comprimatur aliquando iactantia.

Vidit olim Phryx sapiens athletam, qui Olympia vicerat, se plus iusto iactantem eum-

que interrogavit an adversarius viribus plus valuisset. Qui ei respondit : « Minime ! Vires meae enim multo maiores fuerunt. » Tum sapiens : « Quid stulte te iactas ? Num te putas probandum, quia debiliorem superasti ?

FABULA XII

ASINUS AD LYRAM

Asinus vidit lyram iacentem in prato; quare accessit temptavitque ungula cordas. Et : « Male quidem — inquit — bella res cessit, quia artis sum rudis. Si quis enim me prudentior eam invenisset, divinis cantibus aures nostras certe oblectasset. »

Quid colligimus ex hoc ? Ingenia calamitate quadam saepe perire.

FABULA XIII

MULIER VIDUA ET MILES

Quanta sit inconstantia et libido mulierum.

Virum valde dilectum mulier quaedam amiserat vitamque lugens degebat ex quo

corpus eius sarcophago condiderat, neque quisquam eam illinc avellere poterat. Quare famam castae mulieris assecuta erat.

Interea latrones, qui fanum Iovis compilaverant, poenas dederant crucique erant suffixi. At ne quis eorum reliquias illinc tollere posset, milites custodes prope dati erant. Forte cruces iuxta sarcophagum erant apud quem maerens manserat mulier illa castissima. E custodibus unus aliquando, media nocte, aquam rogavit ancillulam, quae dominae suae tunc adsistebat. Paulum reclusis monumenti foribus, miles feminam aegram pulchramque facie eximia vidit ; quare eius animus ilico accensus est milleque causas invenit ut saepius viduam videret. Quae, cotidiana consuetudine victa, paulatim submissior facta est militi illi. Qui coepit tunc noctes apud viduam consumere, donec animadvertit corpus latronis ex cruce esse refixum. Turbatus miles rem mulieri statim exposuit. Tum sancta castissimaque mulier : « Non est quod timeas ! Accipe enim corpus viri mei illudque cruci fige, ne poenas neglegentiae tu des ! »

FABULA XIV

DUO IUVENES SPONSI. DIVES ET PAUPER

Fortunam interdum praeter spem hominibus favere.

Duo iuvenes unam eandemque virginem amabant; eorum alter locuples genere sed forma turpis, alter autem pauper genere erat, sed dives forma. Vicit locuples genere. Quare alter cum venit dies nuptiarum, cum dolorem perpeti non posset, maerens in hortos recessit qui forte proxime erant splendidae villae quae mox virginem erat acceptura.

Eius asellus, qui quaestum deferre domum solebat, a sponsae parentibus conductus est, ne viae asperitates teneros pedes sponsae laederent. Ubi tempus abeundi advenit repente misericordiā Veneris factum est, ut venti moverentur, fragor ingens intonaret atque nox horrida densis nimbis compleretur. Quare lux rapta est atque tanta vis grandinis est effusa, ut omnes cogerentur fuga salutem petere. Asellus onustus sponsa et ille repente fugit in proximumque notum tectum subit iuvenis

contempti, qui sponsam amissam flebat. Procucurrunt servi, pulchram aspiciunt puellam dominoque nuntiant qui inter paucos sodales accubans, crebris poculis, amorem repulsum consolabatur. Repente gaudio recreatur ille dulcesque nuptias inter plausus perficit. Concurrunt parentes, concurrit qui sponsam suam semper fore speraverat amissamque coniugem dolet. Concurrunt demum omnes favorem caelitum comprobantes.

FABULA XV

AESOPUS ET DOMINA

Quam noceat saepe verum dicere.

Aesopus feminae turpi serviebat, quae se expingendo atque exornando totum diem terere solebat neque quemquam inveniebat qui digito eam tangeret. Cui Aesopus : « Licetne pauca tibi referre ? » Cui illa : « Licet. » Tum Aesopus : « Censeo melius res tibi cessuras esse, si cultum deposueris. » Tum mulier : « Meliorne tibi per me videor ? » Tum Aesopus : « Quin immo lectus tuus cessabit, si

crumena cessabit. » « At non cessabunt latera tua ! » iussitque virgis garrulum servum caedi.

Paulo post fur armillam argenteam tollit ; quare mulier omnes furens advocat verberaque proponit gravia si verum non dixerint. Tum Aesopus : « Aliis minaberis — inquit — ; me certe non falles, qui virgis nuper sum caesus, quia verum dixi. »

FABULA XVI

GALLUS LECTICA A FELIBUS VECTUS

Nimiam securitatem saepe in periculum homines ducere.

Gallus habebat feles lecticarios a quibus gloriosus lecticā vehebatur. Cui vulpes : « Diligenter attende, ne isti praedam, potius quam sarcinam portent. »

FABULA XVII

SCROFA PARTURIENS ET LUPUS

Faciendum prius hominis periculum, quam eius te committas fidei.

Olim scrofa iacebat gemens pullos suinos mox paritura. Accurrit lupus promisitque se

posse partibus obstreticiis fungi. Suspectum officium repudiavit illa dicens : « Melius res cedent, modo tu longius recedas. »

FABULA XVIII

AESOPUS ET SERVUS PROFUGUS

Non esse malo addendum malum.

Olim servus dominum asperae naturae fugiens Aesopo occurrit, qui : « Cur ita turbaris ? » Tum ille : « Dicam clare, pater, quia apud te tutus querelas meas depono. Plenus sum plagarum, cibus mihi deest, sine viatico mittor ad villam. Praeterea si dominus domi cenat, tota persto nocte ; si advocatus foras cenat, usque ad lucem in semita iaceo; canus iam factus etiam tum servio. Num quod facinus commisi ? Numquam satur sum factus : saevum insuper patior dominum. Haec igitur causa cur ab illo constituerim abire quo tulerint pedes. » Tum Aesopus : « Si haec incommoda experiris cum nihil mali feceris — inquit — quid experieris si qua peccaveris ? Quid putas te esse passurum ? » Ita profugus a fuga deterritus est.

FABULA XIX

EQUUS QUADRIGALIS IN PISTRINUM VENUNDATUS

Ferendum esse aequo animo, quicquid acciderit.

Quidam e quadriga equum abegit eumque, multis palmis iam nobilem, vendidit ut in pistrino serviret.

E molis productus olim equus ad bibendum, maestus aequales vidit in circum duci ut ludis certamina ornarent. Quare, obortis lacrimis : « Ite felices — ait — et sine me cursu vestro diem sollemnem celebrate. Egomet tristem sortem illic deflebo, quo scelesti fures me adduxerunt. »

FABULA XX

URSUS ESURIENS

Ursus cum deest cibus in silvis, ad scopulosum litus currit sensimque in aquas pilosa crura demittit. Quibus statim cancri adhaerent : excutit ille praedam maris fruiturque esca passim collecta.

Etiam stultorum ingenium acuitur fame.

FABULA XXI

VIATOR ET CORVUS

Viator qui iter per agros carpebat « Ave » audivit. Quare paulum moratus est; nemo illic erat; quare porro iter perrexit. Paulo post eādem salutatione ex occulto vox hospitalis eum salutat ; consistit rursus, cupit par officium reddere, haeret diu circumspectans multumque tempus perdit. Corvus demum supervolat viatoremque « Ave » dicens salutat. Cui ille : « Male sit tibi, alitum pessime, qui pedes meos festinantes detinuisti. »

FABULA XXII

PASTOR ET CAPELLA

Pastor equidem alterum cornu capellae baculo fregerat eamque rogabat ne domino rem aperiret. Cui illa : « Quamvis indigne laesa, reticebo tamen ; sed res ipsa maleficium tuum ostendet. »

FABULA XXIII

SERPENS ET LACERTA

Ubi leonis pellis deficit, vulpinas induendas esse, hoc est, ubi deficiunt vires, astu utendum.

Serpens forte lacertam obviam venientem prenderat eamque patula gula devorare cupiebat. At lacerta dentibus surculum prope iacentem arripuit eumque pertinaci morsu transversum tenens avidum rictum serpentis frenavit. Quare serpenti reicienda fuit praeda.

FABULA XXIV

CORNIX ET OVIS

Cornix olim super ovem consederat ; quae invita dorso onus diu tulit. Postremo tamen : « Si hoc dentato cani fecisses — inquit — poenas certe dedisses. » Cui odiosa cornix : « Inermes ergo despicio, fortes vereor. Quem ego lacessam probe scio et bene novi cui blandiar. Hoc modo enim in mille annos senectam meam prorogare possum. »

FABULA XXV

SERVUS ET DOMINUS

Nullum maledictum esse gravius conscientia.

Socrates servo nequam maledicebat olim, qui uxorem domini sui corruperat circumstantibusque factum patefaciebat. Quare : « Tibi places — inquit — ; at poenas dabis, quia non places illi cui debes placere. »

FABULA XXVI

LEPUS ET BUBULCUS

Multos verbis blandos esse
et pectore infideles.

Lepus olim venatores fugiens, veprem inreperat orabatque bubulcum, qui forte aderat, ne venatoribus indicaret. Tum rusticus : « Ne timueris, late securus. »

Inter haec accurrerant venatores sequentes, qui e bubulco quaesiverunt : « Venitne huc celeripes lepus ? » « Venit, et illac abiit ad

laevam » ; dexteram partem tamen nutu monstrabat. Non intellegunt venatores, in laevam partem credunt leporem re vera aufugisse abeuntque.

Tum rusticus lepori : « Nonne te bene celavi ? » Cui lepus : « Lingua, non nego te me celasse ; at oculi pereant, qui paene me perdiderunt. »

FABULA XXVII

MERETRIX ET IUVENIS

Multa esse iucunda quae tamen sunt incommoda.

Blandiebatur olim perfida meretrix iuveni, quem tamen iniuriis saepe laeserat. Facilem illa se praebebat ei, quem saepius prodiderat dicebatque : « Licet ceteri me muneribus cumulent, ego te plurimi facio. » At iuvenis : « Vocem tuam, mea lux, libenter audio, non quia fidelis mihi fueris, sed quia mihi iucunda tu es. »

FABULA XXVIII

FIBER

Fiber qui se peti a canibus propter testiculos probe scit, dicitur testiculos sibi morsu abripere, cum iam non valet canes effugere. Venator enim ubi sentit se invenisse quod persequebatur, omittit persequi canesque revocat.

FABULA XXIX

PAPILIO ET VESPA

Non praeteritam sed praesentem aspiciendam esse fortunam.

Papilio praetervolitans vespam olim vidit dixitque : « O sortem iniquam ! Nunc cinis levis ego volito, quae e reliquiis eloquentis virorum in pace fortisque viri in bello nata sum ; vespa autem quae mulus clitellarius fuit omnibus est timenda omnesque aculeo laedere potest ubi vult.

At vespa vocem moribus dignam edens : « Non qui fuerimus, sed qui sumus oportet videre. »

FABULA XXX

TERRANEOLA ET VULPES

Pravis non esse fidem adhibendam.

Avis, quam terraneolam rustici dicunt, quia in terra nidum componit, improbae vulpeculae forte olim occurrit altiusque se pennis levavit. Tum vulpes : « Salve — inquit — cur me fugis ? Num putas me te adpetere ? At grilli scarabaei, locustae mihi satis cibi praebent. Ne me timueris, igitur, quae te propter quietos tuos mores probamque vitam diligo. »

Cui terraneola ita respondit : « Salutem meam tibi libenter committam si me in aëra sequaris. Sub divo enim par sum tibi. »

EPILOGUS

Hoc qualecumque Musa mea ludit et iniquos iuvat et homines frugi. Quorum alteri simpliciter laudibus me cumulant, alteri autem taciti moleste ferunt.

INDEX

PRAEFATIO 9
PROLOGUS 11

LIBER PRIMUS

FABULA
I. Lupus et agnus 15
II. Ranae regem petierunt 16
III. Graculus superbus et pavo 17
IV. Canis per fluvium carnem ferens 18
V. Vacca, capella, ovis et leo 18
VI. Ranae ad solem 19
VII. Vulpes ad personam tragicam 19
VIII. Lupus et gruis 20
IX. Passer ad leporem consiliator 20
X. Lupus et vulpes, iudice simio 21
XI. Asinus et leo venantes 21
XII. Cervus ad fontem 22
XIII. Vulpes et corvus 23
XIV. Ex sutore medicus 23
XV. Asinus ad senem pastorem 24
XVI. Ovis, cervus et lupus 25
XVII. Ovis, canis et lupus 26
XVIII. Mulier parturiens 26

XIX. Canis parturiens 27
XX. Canes 27
XXI. Leo senex, aper, taurus et asinus 27
XXII. Mustela et homo 28
XXIII. Canis fidelis 28
XXIV. Rana rupta et bos 29
XXV. Canes et corcodili 29
XXVI. Vulpes et ciconia 30
XXVII. Canis et thesaurus et vulturius 30
XXVIII. Vulpes et aquila 31
XXIX. Asinus irridens aprum 31
XXX. Ranae metuentes taurorum proelia ... 32
XXXI. Miluus et columbae 32

LIBER SECUNDUS

FABULA

Auctor 37
I. Iuvencus, leo et praedator 37
II. Anus diligens iuvenem, item puella ... 38
III. Aesopus ad quendam de successu improborum 39
IV. Aquila feles et aper 39
V. Caesar ad atriensem 40
VI. Aquila et cornix 41
VII. Muli duo et raptores 41
VIII. Cervus ad boves 42
Epilogus : Auctor 43

LIBER TERTIUS

FABULA

Phaedrus ad Eutychum 47
I. Anus ad amphoram 49
II. Panthera et pastores 49

III. Aesopus et rusticus 50
IV. Lanius et simius 51
V. Aesopus et petulans 52
VI. Musca et mula 52
VII. Lupus ad canem 53
VIII. Soror et frater 54
IX. Socrates ad amicos 54
X. Poeta 55
XI. Eunuchus ad improbum 56
XII. Pullus ad margaritam 57
XIII. Apes et fuci vespa iudice 57
XIV. De lusu atque severitate 58
XV. Canis ad agnum 58
XVI. Cicada et noctua 59
XVII. Arbores in deorum tutela 60
XVIII. Pavo ad Iunonem de voce sua 60
XIX. Aesopus respondet garrulo 61
XX. Poeta 62

LIBER QUARTUS

FABULA

Poeta ad Particulonem 67
I. Asinus et galli 68
II. Poeta 68
III. De vulpe et uva 69
IV. Equus et aper 69
V. Poeta 70
VI. Pugna murium et mustelarum 73
VII. Phaedrus 73
VIII. Serpens ad fabrum ferrarium 74
IX. Vulpes et caper 75
X. De vitiis hominum 75
XI. Fur et lucerna 76
XII. Mala esse divitias 76
XIII. De leone regnante 77

XIV. Prometheus 77
XV. Idem 77
XVI. De capris barbatis 78
XVII. De fortunis hominum 79
XVIII. Canum legati ad Iovem 79
XIX. Serpens, misericordia nociva 81
XX. Vulpes et draco 81
XXI. Phaedrus 82
XXII. De Simonide 83
XXIII. Mons parturiens 84
XXIV. Formica et musca 84
XXV. Poeta 85
Poeta ad Particulonem 87

LIBER QUINTUS

FABULA
Idem poeta 91
I. Demetrius rex et Menander poëta 91
II. Viatores et latro 92
III. Calvus et musca 93
IV. Asinus et porcellus 94
V. Scurra et rusticus 94
VI. Calvus et quidam aeque pilis defectus. 96
VII. Princeps tibicen 96
VIII. Tempus 97
IX. Taurus et vitulus 98
X. Canis et sus et venator 98

APPENDIX

FABULAE NOVAE

I. Simius et vulpes 101
II. Auctor 101
III. Mercurius et duae mulieres 102

IV. Prometheus et Dolus 103
V. Auctor 104
VI. Auctor 105
VII. Aesopus et scriptor 105
VIII. Pompeius Magnus et eius miles 106
IX. Iuno, Venus et gallina 108
X. Paterfamilias et Aesopus 108
XI. Aesopus et victor gymnicus 109
XII. Asinus ad lyram 110
XIII. Mulier vidua et miles 110
XIV. Duo iuvenes sponsi. Dives et pauper .. 112
XV. Aesopus et domina 113
XVI. Gallus lectica a felibus vectus 114
XVII. Scrofa parturiens et lupus 114
XVIII. Aesopus et servus profugus 115
XIX. Equus quadrigalis in pistrinum 116
XX. Ursus esuriens 116
XXI. Viator et corvus 117
XXII. Pastor et capella 117
XXIII. Serpens et lacerta 118
XXIV. Cornix et ovis 118
XXV. Servus et dominus 119
XXVI. Lepus et bubulcus 119
XXVII. Meretrix et iuvenis 120
XXVIII. Fiber 121
XXIX. Papilio et vespa 121
XXX. Terraneola et vulpes 122
Epilogus 122